



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 6. Christi maxima humilitas, ex habitatione, operatione, & vestitu  
agnoscenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Philip, 2.  
6.

uito persuasit, vt suprà tradidimus. Nullus tamen Regum aut Imperatorum seruilium habitum induit, vt seruum suum posset ad thronum regium extollere. Atqui Christus, *cùm in forma Dei esset*, nullo utiq; regnandi tædio affectus, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, quando seipsum vsque ad naturæ humanæ vilitatem infirmitatemq; demisit; vt seruos suos ad regnum eueheret. Discite hoc à Christo diuites, discite pauperes: diuites, qui nullam pati, nullam audire potestis humiliationem; pauperes, qui & ipsi sorte vestra non contenti, in contumelia purpuram cogitatis. Discite vos, Satrapæ, è summo demittere, & posita maiestate, officia etiam minùs splendida suscipere, tractareq; negotia vobis subiectorum. Discite descendere, qui nullum supra vos vultis pati.

§. VI.

*Christi maxima humilitas, ex habitatione, operatione, & vestitu agnoscenda.*

2. Nemo, nisi *humilis corde*, si sit felix, amat ærumnas; nemo quieti præfert laborem; nemo delicijs dolorem; diuitijs paupertatem; nemo palatijs mapalia; titulis grandibus ignobilitatem; honoribus despectum

spectum anteponit. Christus, cum esset *in* Ioan. 1. 18.  
*sinu Patris*, è cælesti patria, in Galilæam, re-  
 gionem tunc temporis contemptissimam,  
 atq; ad miseras nostras descendit, *in labo-* Psal. 87.  
*ribus à iuuentute fuit*; de paupere Parente, in 16.  
 paupere casa, nasci, in præsepio reponi, cum  
 humilibus conuersari voluit; neque se  
 regem creari à populo passus est; sed cum  
 esset Dei Filius, *fabri filius* appellatus, animo Ioan. 6. 15.  
 æquissimo sustinuit. Numquid igitur ve- Marc. 6. 3.  
 rè *humilis corde* extitit? qui & nudis pedibus  
 obambulauit, & asino vectus est triumphaturus,  
 pedesque lauit discipulorum; num-  
 quid *humilis corde fuit*? Numerat Fulgosus, Fulgosus  
 inter Ludouici XI. Gallorum regis laudes, lib. 3. c. 6.  
 quòd asinum nonnumquam pro equo ad-  
 hibuerit; & cum alij reges auro sericoque  
 amicirentur, lana aut bombyce indutus fu-  
 erit. Christus nullo vmquam equo vsus,  
 veste vilissima amictus, numquid magis *hu-*  
*milis corde* fuisse censendus est? O quàm hie  
 multa sunt à nobis discenda! quæ quàm diu  
 non discimus, verè *humiles corde* non sumus.  
 At Dei Mater didicit: ast alij sancti didice-  
 runt; nec quidquam fecere contra aut suam  
 dignitatem, aut rei ipsius veritatem. Nos,  
 quò deteriores sumus, eò delicatiùs volu-

mus tractari, molliùs vestiri, sumptuosius conuiuari.

## §. VII.

*Christi immensa humilitas in iniurijs, & despectibus perferendis.*

3. Nemo, nisi *humilis corde*, contumelias, alapas, flagra, sputa, denique crucis summam infamiam potest patienter sustinere. Omnis superbus impatiens est; omnis superbus cogitat vindictas. Tametsi enim, ad tempus, dolorem corde premat, vultuq; patientiam simulet, vt patientiæ laudem captet; animo tamen Diras coquit, & execrationes. Christus infamiam, maledicta, colaphos, virgas, flagella, foedissima militum phlegmata in diuinā faciem proiecta, ipsum patibulū, & mortem cum latronum morte communē, æquissimo animo tolerauit, numquid ergo *humilis corde* fuit? Et verò tunc de quali vindicta cogitauit? orauit pro crucifixoribus; atq; vt eos excusaret, nescire eos dixit, quid facerent. Quòd si vis altiozem humilitatis gradum; tam parui æstimat atrocissimas sibi iniurias ab hominibus illatas, vt, cum eas posset æternis ignibus vindicare, ad vnum gemitum peccatoris, illico etiam sexcentas remittat. Putas, nullum

Luc. 23.  
34.